

Heinrich Rahn Wilken Bergelase

## **Dissertatio Iuris Publici De Pace**

Rostochii: Kilius, 1649

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766451321>**

Druck Freier  Zugang








Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18







DISSERTATIO JURIS PUBLICI

DE

# PACE

*Quam*

Christo, pacis Principe, fortunante,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo, Consultissimo*

DN. D. HENRICO RASNERI

Ucto P. P. Præceptore ac Fautore

suo ætatem colendo,

*Publico examini submitte*

WIKEN BENOELICE / Nob. Pom,

*Ad 13. diem Junij,*

*In Auditorio Majori.*


•••(o)•••

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typographi

ANNO M. DC. XLIX.





ILLUSTRISSIMO ET EX-  
CELLENTISSIMO HEROI AC  
DOMINO

DN. JOHANNI  
OXENSTIERNA  
MAGNI AXELII,

Comiti Moriae Australis, Li-  
bero Baroni in Kymitho Dn. in Fy-  
holm, Horningsholm & Tullegarn, Regni  
Sueciae Senatori & Consiliario  
Cancellariae,

Serenissimae Regiae Majestatis Sueciae  
Regniq; ad Universales Pacis Tractatus  
Legato extraordinario,

*Domino meo clementissimo.*

**P**ax communi omnium suffragio laudatur, ab o-  
mnibusq; qui non humanitatem penitus exue-  
runt, ardentibus votis exoptatur. Verum quan-  
to desideratior, magisq; accepta est tanti boni  
felicitas, eo exactiori hic prudentia opus, ut non nomen,  
sed





39

sed res constituatur. Subjice oculis multorum naufragia, quos subdola tranquillitate longius provectoros, dulcis Sirenum cantus in periculosissimas pacis syrtes illexit. Quoties hoc fiscatum beneficium, jactanter & splendide indultum, ut remoto metu externo, firmo concordiae civilis vinculo, hostis, qui foris non erat, domi inveniretur? Quoties ad pacis actiones non alio fine à subdolis deventum, quam ut rerum gerendarum articulos adversariis subtraherent, consilia, animum, vires eorum cognoscerent, Proceres donis & officiis demulcerent? Quoties tractatum officiae obtentae, ut hostes distraherentur, inter quos nunquam non quidam reperiantur, qui vel melius, quam belli ratio finit, tractari volunt, vel lucelli cupidine impulsii, ex publicis miseris auream messem quaerentes, se unà cum sociis produunt? Vidit hoc Prudentissima Regina Sueciae, itaq; potissimum Illustrissimam Tuam Excellentiam, ut eruditionis & virtutum omnium, ita imprimis prudentiae bonis instructissimam arduae huic paciscendi provinciae praeficere voluit. Implevit non solum Illustrissima T. E. agendi dexteritate optimam optimae Reginae de se conceptam sententiam, sed & conciliando pacem, ut speramus, firmam ac perpetuam, innumeris nos beneficiis affecit, quibus ne cogitanda quidem gratia, nos respondere posse, haud invitus fateor. Non tamen ideo quod multum antevenere beneficia, cultum & observantiam I. T. E. unquam ponam, quam diu vitam largietur is, qui vitae autor. Cujus animi ut extaret pignus, disceptatiunculam hanc in debitae observantiae signum offerre volui, debui. Leviozem quidem, quam



quam ut in conspectum Viri, licet cum Maximis com-  
paretur, Magni venire debeat. Sed ut rusticus defi-  
ciente alio dono, haustam puteo aquam Regi Persa-  
rum obtulit, ita ego, cum aliud à tenuitate impetrare  
non possem, dissertatiunculam hanc testandæ obser-  
vantiae ergò offerre non dubitavi, addito voto ex inti-  
mis cordis penentralibus profecto, ut namq; I. T. E.  
quam diutissimè vivat, vigeat, floreat.

*Illustrissima*


**T. E.**

*additissimus servus*

**Willelm Bergelase**

**Auth. & Resp.**





Ultis calamitatibus arumnisq; pressi,  
 fessi, preces ac manus supplices ad DEUM O.M.  
 recendimus, ut barbarum praeliorumq; fluctus,  
 in pacis tranquillitatem verteret. Respexis  
 vota nostra benignus ille parens, impulitq; Ma-  
 gnatum animos, ut missis simultatibus, odijs,  
 tandem in concordiam coalescerent. Vix animus capere potest  
 magnitudinem hujus tanti beneficij, quod solum in solido locare  
 potest fortunas & incolumitatem miserè afflitta Patria, cui non  
 aliud supererat, quod speraret, quam certum & maturum exi-  
 tium. Sed dum jam in ipso interitus confinio versatur, ecce  
 portus salutis in pace salubriter tempestiva aperitur. Quo itaq;  
 magis in tempore hac bona obtigerunt, eo gratiori voluptate  
 omnes afficiunt. Quamvis non pauci, qui tam impensè pacis  
 bonis gaudent, rei ipsius iura & qualitates ignorent. Id ne mihi  
 usu veniret, paulo attentius Scriptores, qui de pace quidquam  
 literis prodidere, evolvere cepi. Ex quibus dum in usus meos  
 quedam exerpo, hac mihi sub manibus nata est disertatio, rudi  
 quod dicitur Minerva, pacis naturam, & iura paucisimis lineis  
 explicans. Memor vero quemadmodum ex thalibis & ferri  
 attritu ignem, ita ex opinionum inter se contentione, verum elici,  
 hujce meas de pace theses placida disquisitioni subycere placuit,  
 ipsam pacis Germanie Autorem, Conciliatorem Deum venera-  
 tus, ut id benè feliciterq; succedat.

THESIS I.

**A** Tq; ut à nomine ordiar, descendit hoc ipsum  
 à paciscendo l. i. §. i. de pact. quod nimirum ij, qui pa-  
 cem conciliant, certis conditionibus paciscuntur, ut ab  
 omni hostilitate abstineant.

A 2, Quam-



2. Quamvis & induciis durantibus, nihil hostile tentetur, differunt tamen in eo à pace, quod induciæ certis temporum limitibus, circumscribuntur *l. 19. §. 1. ff. de cap. & postlim. Gail. de pace pub. cap. 4. num. 44.* Interdum brevioribus, aliquot, sc. mensium, dierum, immo horarum; quemadmodum C. Pontius Sarnitum Dux, sex horarum inducias postulavit *Quadrigar. 1. annal.* citante *Gell. lib. 1. cap. 25.* Interdum longioribus aliquot sc. annorum: Cuius rei exemplum nobis suppeditant Romani, qui Vejentibus pacem petentibus in annos centum inducias dederunt *Liv. lib. 1. dec. 1.* Item potentissimus Rex Sueciæ Gustavus, cui rerum gestarum magnitudo nomen Magni peperit, qui cum Rege Poloniæ 24. annorum inducias pactus est. Sed hoc induciarum tempore, bellum manet, pugna tantum cessat. *Gell. lib. 1. cap. 25.* Pace vero bellum omnino tollitur, & sempiterna quies constituitur.

3. Inde non immerito pax definitur quod sit: *Tranquillitas publica in perpetuum constituta*, Alii aliter definiunt *Bald. rub. ff. de pact. num. 5.* definit: plenam discordiarum sedationem; *in tit. Extr. de Treuga & pace num. 2.* dicit: Pacem discordiæ ultimum finem, & perpetuam & inviolabilem concordiam. *Jas. in l. eum proponas. 21. num. 6. ait:* Pax est finis discordiæ perpetuo duraturus; *Jung. Tus. lit. p. concl. 171. Mantis. de tac. & ambig. convent. lib. 27. tit. 1. num. 11. & seq. Gail. l. de pac. publ. cap. 1. num. 5. & cap. 4. num. 44. Alber. Gent. lib. 3. de jur. bel. cap. 1.* Pacem definit compositionem belli ordinatam. Cum autem non semper pace finiatur bellum, sæpeq; inter aliquos pax fit, qui tamen non bello disceptarunt, minus congruæ videntur hæc definitiones. Nec magis aptum, quod sit: *Conventio publica perpetuo ab armis abstinendi Bus. disp. 10.* Quia hoc magis effectum, quam rem ipsam describit. Sed non est animus, omnes omnium definitiones recensere, sufficiat primo loco proposita.

4. Quæ duce pacem disperitior, in internam & externam: Illa est cum tumultus & rebelliones civiles componuntur: hæc cum Reges aut Resp. inter se pacem constituunt.

5. In æqualem & inæqualem, æqualis dicitur quando pares, conditionibus æquis pacem conciliant. Existimantur autem pares, qui nondum periculum virium fecerunt, *Curt. in Orat. Scitarum.* Aut qui ita armis disceptarunt, ut uter bello sit potior, dignosci nequeat.

6. Inæqualis est, quæ victoris beneficio contingit, nec refugienda quæ



29

quidem penitus, sed quæ pessimis plerumq; circumvolatæ comitibus, iniquis legibus, fluxis moribus, apertaq; sæpius tyrannide. *FRANC. PERRACERB. dial. 105. lit. 1. de remed. utrius. fort.* Hinc ejusmodi pactio, si gravatis, vires olim redeant, firma manere nequit. Neminem enim populum diutius eâ conditione esse posse cujus eum pœniteat, ait Plautius Consul, apud Liv. lib. 8.

7. Utut vero plures pacis species sint, generaliter tamen verum est, eorum esse pacem facere, quorum bellum *Grot. de jur. bel. & pac. lib. 1. cap. 20.* Unde sequitur eorum hoc esse, qui summi imperii exercendi jus habent. Constans enim Jure Consultorum & Politicorum sententia est, infallibile signum esse summæ potestatis, belli indicendi jus l. 3. *vers. eadem ff. ad l. Jul. Majest. l. hostes 24. ubi Bart. ff. de capt. & postlim. revers. can. quid culpatur 4. caus. 23. q. 1. Sixt. de Regal. lib. 2. c. 1. n. 20. Reinking. lib. 1. clas. 2. c. 2. n. 15.* Extat lex apud Plat. 12. de ll. Si quis proprio motu, vel bellum vel pacem cum quopiam sine reipub. jussu fecerit, morte mulctator.

8. Regis itaq; hoc esse in statu Monarchico expeditum est: *Grot. de j. b. & p. lib. 3. cap. 20. Bod. de Rep. lib. 1. cap. 20.* Tibi enim summum rerum arbitrium Dî dedere, subditis obsequii gloria relicta est inq. M. Terentius ad Tiber. Cæs. apud Tac. 6. *ann. 8. vers. 5.* Vbi ergo conditio imperandi est, *verba sunt iterum Taciti. 1. annal 6. vers. 7.* ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur, ibi etiam unus sicut de negotiis omnibus, sic & de pace liberè statuit.

9. Modò ad eam ætatem pervenerit, ut imperio præesse possit, Nam Rex minor, etsi jure imperii administratio ipsi competat, tamen, ut ob ætatem potestate sua fungi, ita & pacem facere impeditur, *Grot. de j. b. & p. lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. 20.*

10. Mente captus quoq; cum consentire non possit, & mutus consensus necessariò ad pacem firmam requiratur, meritò à paciscendo semovetur.

11. Nec captivo & exuli, si modo regnum ex consensu populi ortum habeat, hæc potestas conceditur. Non enim credibile est, imperium à populo eâ lege delatum, ut etiam à non liberis administrari possit *Grot. cap. 20. lib. 3.* Hinc proceres Regni Gallix, pacem à Phikppo captivo cum Anglo initam repudiarunt. *Forsb, p. 59.* Alia in hanc rem exempla vid. ap. *Alb. Gent. l. 3. de jur. bel. cap. 14. p. mibi 597.* Franciscus



quoque Rex Galliarum, conditionibus in captivitate promissis, se teneri negavit, *Guic. lib. 17. Bellaj lib. 3.* Et hoc rectè factum, ob id, quod non potuerit de provinciis regni pacisci, asserunt *Bodin. s. de Rep. num. 595. & seq. & Alb. Gen. l. 3. de jur. bell. cap. 14. pag. mi. 596. & seq.* qui Gentil. tamen putat ratione personarum ipsum mansisse obstrictum, ut ad custodiam se reciperet, secundum promissum, obsidibus duobus filiis Francisco & Henrico munitum. Atque iustum fuisse Clementis VII. verbum ap. *Guic. lib. 18.* rem se esse indignissimam, ut probaret vivus, quæ pepigerat, mortuus, id est, ut quæ pepigisset captivus, ea probaret liber factus.

12. Ne tamen, si quid tale contingat, æternis bellis implicentur imperia, alioque modo quid capiant detrimenti, Ordines, nisi peculiari lege provisum sit, vel ipsi rebus præsumunt, vel aliquos eligunt, qui Regni curam suscipiant. Quod & in furioso valet.

13. Ast circa ætate minores ita obtinet. In Regnis Patrimonialibus tutela est eorum, quos pater aut propinqui elegerint. *Grot. lib. 1. cap. 3.* In Regnis, quæ non sunt patrimonialia, tutelæ onus residet penes eos, quibus lex publica injungit. Deficiente verò lege, quibusdam tutelam committitur, donec minor ad justam ætatem perveniat.

14. Sed quanto tempore majorennitas definita sit, ex more & statuti cujusque regni discendum. Galliarum Reges, ex constitutione Caroli V. ubi 14. annum attigerunt, administrationis regnorum nanciscendæ & suscipiendæ capaces declarantur. *Thuan. lib. 35. tom. 2.* Alia Regna 20. alia 24. demum anno, Reges suos majores declarant. Quo tempore plena Regni administratio iis permittitur.

15. Quæri hic non incommode potest, num Rex qui ad justam ætatem pervenit, in statu purè Regio pacem inconsultis Ordinibus facere possit? Non debere id facere existimo, nisi id evidens exposcat necessitas, quamvis liberam habeat potestatem, & ordines dumtaxat sint Regis majus Consilium, per quod quærelæ populi, quæ alias reticentur, ad Regis aures perveniant, *Grot. lib. 1. cap. 3.*

16. Ast si ordines jus habeant de actis principis cognoscendi, atque leges præscribendi, vel etiam certis illi hanc potestatem in imperij delatione sibi reservarunt, iis inconsultis pax non tenet. Hinc concludendum, quia Electorum & cæterorum Principum Germanorum consilium, non solum in partem curarum assumitur, sed & Capitulatione aureâ, quæ majoris momenti, comitiis ejus reservantur *Heig. lib. 1. q. 2.*



39  
§. 17. Imperatori non competere jus intra, vel extra imperij limites, pacem inconsultis ordinibus pangendi, Vid. *Capitulat. Caroli V. §. Wit* Sollen vnd wollen vns ii. *Ferdinandi I. & Matthia Eod. §. Ferdin. II. §. 9. Ferd. III. §. 11.*

17. Cæterum Principes Germaniæ, cum Imperatorem, totumq; imperium supra se agnoscant, pacem constituere non posse, manifestum est. Handhabung des LandFriedens *sub tit. Die Königliche May: sol keinen Krieg.*

18. Sed pergo & statuo, in Rebuspub. pro diversa imperandi forma, aut proceribus, aut populo hanc potestatem competere, cum *Grot. lib. 3. cap. 20. n. 4.* Quorum nisi maxima pars consenserit, fida armorum litiumq; compositio esse nequit.

19. Multo minus Dux, qui exercitui præest, citra consensum superioris, cujus auspiciis bellum geritur, pangendæ pacis facultatem habet. *Alb. Gentil. de jur. bell. lib. 2. cap. 10.* cui contradicit *Hannius de pact. cap. 2. q. 2. cum Duar. ad l. 5. ff. de pact.* Non enim, ut eleganter inquit *D. Merius in discursu de Amnestia*, quibus provida armorum cura & administratio incumbit, hoc sibi citra manifestam licentiam sumere possunt, ut eadem deponant, multo minus promittere, ut qui vindictam permiterat, compositionem non demandatam observet. Imò cum in re privata, procuratori integrum non sit transigere *l. 60. ff. de procurat. l. contra 28. §. ult. ff. & l. 7. C. de pact.* absurdum foret hoc in publicis admittere. Hinc merito *Posthumius consul* dixit: Cum me seu turpi, seu necessaria sponcione obstrinxi, quâ tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus. *Liv. lib. 4.* Et postea: Nec à me nunc quisquam quæsierit quid ita sponponderim, cû id nec *Consulis jus*, nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrij, nec pro vobis possem. Atq; adeo recte *Papyrius Dictator*, pacem petentes, ad senatum ire jubet, apud *Liv. lib. 8.* & *Scipio Legatos Carthagenensium Romam proficisci* jubet, ut quæ à se acta essent, ea patrum autoritate populiq; jussu confirmarentur. *Liv. lib. 3. in fin.*

20. Eoq; fragili inniti fundamento, subditorum cum Principe pacificationem, cuiquam videri posset. Cum enim bello principem petere subditi jure non possint, nec pacisci cum illo poterunt. Verum hoc quidem videtur, secundum eorum sententiam, qni omne bellum internum, tanquam injustum, Legibusq; divinis contrarium improbant.



Sed cum casus evenire possint, quibus iusta arma superiori inferre licet, *Grot. lib. 1. cap. 4.* & pacisci permissum esse, certum est. Cum arma pro defensione, quæ jure omni est licita *l. 3. de Just. & Jur.* suscepta non alium habeant finem, quam ut in otio vivatur, nisi gladiatorum aut potius latronum more continenter decertare, & omne ævum cum interitu Reip. ferro terere velimus.

21. Immo & si pacis & belli jura connexa sint, magis tamen favorabilis pax est, utpote cum non aliâ causâ bellum suscipiatur, nisi hoste profligato, aut bonis conditionibus conciliato, in pace vivatur *Cic. 1. de Off.* Itaq; ne omnis spes pacis adimatur, nec belli, nisi per interitum alterius partis, finiendi spes sit, etiam cum iniquo bello laceissentibus subditis, pacem firmam constitui posse existimo. Ut enim ineptus esset chirurgus, qui vice sanandi, immedicabiles infligeret plagas, & vulnera ingenti ægotantium dolore laceraret: Sic imperitus ille, & iniquus censetur gubernator, qui, ut paucos seditionis auctores castiget, multas hominum myriades, in extremam miseriam præcipitat: qui, cum per pacem auctoritatem recuperare posset, inexplicabilis belli alea, fortunas suas & totam Remp. committit. *Jun. can. Noli 3. caus. 23 q. 1.*

22. Utut autem poenam meruerit improba hæc resistendi malitia, nihilominus, si quid cum desertoribus & rebellibus actum sit, publicæ utilitatis gratia, imprimis si juramentum accesserit, servari id æquum est. *Bodin. lib. 5. de Rep. cap. 6. num. 603. in fin. & seq.*

23. Cum piratis quoq; & prædonibus, licet parum ex dignitate Reip. sit pacem conciliare *Tacit. 3. ann. 73. num. 2.* Concilianda tamen est aliquando, & promissis standum arbitror. Nam sicuti transactio valet, etiam si lis injustè fuerit mota, & probabilis timor litis movendæ sufficit *l. 1. de transact. l. 2. C. eod.* ita etiam, ut pax fieri possit, timor armorum sufficit, *Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 27. tit. 3. num. 26. sum Craves. Consil. 717. num. 17.* Sic pacem fecit, confecto piratico bello, Pompejus cum piratis, *Plutarch. in Pompei. Dion. lib. 36.* Et Romanos illam pacem violasse ulla in parte, nullibi hæcenus legi. *Jun. Treutl. vol. 1. disp. 6. rh. 7. lit. a. ibiq; Hunn. q. 4. 45.*

24. Quid verò sentiendam, de pace infcio & ignorante socio inita? Quia hæc ipsa valide obstringat, nullum est dubium. Quamvis vix à perfidiæ crimine absolvi possit, qui tali clandestinâ pactione, socij causam prodat *arg. l. 1. pr. ff. de pact. & arg. l. nihil tam. 35. de R. Jur.* Et  
hinc



hinc Carolus Burgundus, Edwardo Angliæ Regi indignatus est, quod pacem cum Ludovico Galliæ Rege, se infcio iniisset. *Comin. lib. 6.*

25. Et multo magis culpandus est, qui non infcio quidem, tamen dissentiente socio paciscitur. Inest quippe fræderibus hæc conditio, etiamsi expressè non sit adjecta, ut utriusq; voluntate, ab iis tantum discedi possit. Reprehendit quidem ob id *Bodin. s. de Rep. cap. 6. num. 616.* Mauritium Electorem Saxon. quod inconsulto Rege Gall. Henrico II. cum quo foedus Chamborti inierat, sexto statim post illud foedus mense, pacem cum Casate Carolo V. Passaviæ pepigit. Sed quam recto talo stet illa reprehensio, docent *Sleidan.* & apud Eundem ipse Rex ejusq; Legatus Praxineus *lib. 24. pag. mi. 765. & 775.* *Jung. Arum. ad Aur. Balth. cap. 15. th. 7.*

26. Exceptionem tamen, quod jam dixi patitur, quando id, cujus gratiâ societas inita est, impetratum fuerit, tum enim & ipsam societatem finiri par erit.

27. Idem est, si unus ex sociis, perpetuis & capitalibus odiis, cum hoste decertare, sociis dissentientibus, velit, nullamq; justam causam dissensus alleget. Nam cæteros quoq; hoc casu, odio implacabili & sempiterno bello implicari, à legibus divinis, à natura, ab omni deniq; humanitate alienum est, ait *Bodin. s. de Rep. c. 6. num. 616.* Et quemadmodum in jure civili dicitur, frustra hoc conveniri, ne societate abeat, cum nihilominus renunciatio ob causam fieri possit *l. 14. pro soc. & uti aliàs dissensus absq; justa causa, nihil operatur l. 22. §. fin. de fideicom. libert.* sicut deniq; pactum, de non ineunda cum aliquo pace non valet *Mantic. de tac. & ambig. conven. lib. 27. tit. 3. num. 8.* Ita quoq; dissensus confederati in hac publica causa, sine ratione nihil operatur.

28. Similiter si necessitas, quæ non cadit sub legem, *cap. 2. in fin. Extr. de observ. 18. jun. cap. 6. cir. fin. Extr. de consuet. l. 5. ff. de off. Procons.* impellat socium, imputari ei non potest, si contra societatem, solus paciscatur.

29. Si verò dolosè socius egerit, fraudem fraude repellere licebit, *arg. l. cum proponas. 21. ibiq; Dd. C. de pact. Myns. 4. Obs. 7.* secundum illud Ovidij:

*Judice me fraus est concessa repellere fraudem,*

ET

*Fallere fallentem, fraudemq; repellere fraude,*

*Exemploq; licet ludere quemq; suo*

Et



Et id obtinere etiam, si fides data sit jurata, tradunt *Tusch. lit. F. concl. 337. num. 3. & alij, per cap. 2. & cap. sicut. 29. Extr. de jurejur.* Unde rectè Frid. Imp. ait: Qui pacem jurare & tenere noluerit, beneficio & lege pacis non fruatur, 2. *Feud. 53.* Sunt qui rectè dicunt, intelligendum hoc de eodem capite, ejusq; connexis, atq; in separatis aliud receptum esse, *Mant. dic. tract. lib. 3. tit. 17. num. 22. Socin. in reg. Fidem frangenti §. sexto fallit &c. Alb. Gentil. 3. de jur. bel. cap. 24. cir. fin. pag. mihi 712. & 714.*

30. Non tamen ob metum solùm, ne socius subdolè agat, contra voluntatem socij pacem constitui posse puto. Neq; pax rumpatur statim per suspicionem, quæ deducta in actum non est, inquit *Alb. Gen. 2. de jur. bel. cap. 21. pag. 672.*

31. Sed cum jam, quinam paciscantur, exposuerimus, sequitur, ut, quid sub pactionem veniat, dicamus. Transigitur autem, vel de injuriis, ab utraq; parte illatis, sopiendis, sepeliendis, quod græco vocabulo Amnestiam vocant: Vel de controversiis, quæ belli causam præbuere, tollendis.

32. Interdum & de possessionibus, bello turbatis restituendis agitur, ubi ultima, quæ ante bellum fuit, possessio respicitur.

33. Nec rarò de Regni totius, aut partis alienatione paciscuntur. Quod pro arbitrio suo facere poterunt ij, qui regnum in dominio, id est, in patrimonio habent, quales sunt qui nudà hæreditariâ successione, vel contractu, vel bello regnum sunt adepti. Attamen pauci sunt in nostra Europa, qui non sint obstricti legibus fundamentalibus seu regni, quibus ita ipsorum potestas limitatur, ne possint sine consensu procedurum aut statuum paciscendo ditiones, aut imperium diminuere. Extra hos qui absoluti sunt, ij, ut dixi jam, liberè provincias possunt alienare. Quilibet enim rei suæ moderator & arbiter *l. in re mandata 21. C. mand.*

34. Reges verò qui imperium non in patrimonio, sed quasi usu fructu habent, quales solent esse, qui electionis jure, vel lege alteri succedunt, nequeunt regni bona alienando, lædere Remp. *cap. intellecto 33. de jurejur.* penes quam est vera proprietas & dominium *Carol. Mol. ad Conf. Paris. tit. 1. §. 2.* Et nequeunt principes convenire in detrimentum regni, ait *Alb. Gent. 3. d. jur. bell. cap. 22. in princ. pag. mi. 679.* Jura siquidem proprietatis, non ad principem, sed ipsum Imperii corpus pertineat. Quod si non expressè principi alienationem interdicit, saltem tacitè



ascitè eam prohibuisse videtur, quia qui Reip. præsent, ait Cicero *1. off.* duo Platonis præcepta teneant: Unum ut utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant obliti commodorum suorum: Alterum ut totum Reip. corpus curent, ne, cum partem aliquam tuentur, reliquas deferant. Ut enim tutela (addit Cic.) sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est: jung. *l. 4. C. de defens. civ. Varq. 1. controv. 1. num. 10. & seq. Idem 1. controv. 4. num. 3. 4. 5. 6. Heig 1. q. 19. num. 4.* Exempla dictæ in pr. hujus th. assertionis suppeditat *Bod. l. 1. cap. 2. num. 190. & seqq* & simul ostendit, quomodo valeat alienatio absq; consensu populi facta. In nostro Imperio Lex Regia seu Capitulatio alienationem impedit, vid. *Capit. Ferd. III, §. 31. detm. 8.*

35. Aliàs assentientibus & approbantibus subditis, vel totum, vel ad partem, Regnum alienari posse certum est.

36. Ex jam dictis concludo, circa hanc materiam, considerata esse modum acquisiti imperii, qualitatem subditorum, & usu moribusq; firmatum jus principum, atq; id genus alia. Imò & hoc observandum, cum populus alienatur, non ipsos propriè homines, seu subditos alienari, sed jus eos regendi, quæ populus sunt.

37. Ut verò validè alienetur, requiritur partis alienandæ consensus, qui, etsi tacitus tantum sit, sufficit, *Varq. d. cap. 4. num. 6* vel etiam præsumptus, vid. *ib. seq. in fin.* Ita enim ab initio in civilem societatem coisse videntur, ut conjuncti corpus firmum ac validum adversus insultus hostium efficerent, non ut corpori fas esset avellere partes, & alterius dominationi subijcere.

38. Simili ratione nec pars, absq; injuria totius corporis, se separare potest. Mutua enim hæc obligatio, à qua, alterutrâ parte invitâ, recedi non potest: nisi certum & inevitabile periculum ad hoc invitet. Quod si enim evidentissima sit utilitas corporis totius ac partis in cessione istâ, aut extrema eam suadeat necessitas, facillè ex scientia & patientia partis, totiusq; corporis, consensus utriusq; præsumitur *Grot. lib. 2. de Jur. bell. & pac. cap. 6. num. 8.*

39. In dicto jam necessitatis casu, Regem vel Reip. rebus singulorum uti, easq; etiam perdere & alienare posse, nullum est dubium, quum & privatis necessitas aliquod jus in alienis concedat *l. 2. §. 2. ad L. Rod. l. 3. §. 7. ff. de incend. ruin. l. 19. §. 3. ff. ad L. Aquil.*

40. Sed anne & utilitatis publicæ gratiâ, puta ob pacem, vel quam-

B cunq;



eūnq; aliam causam legitimam? Et ob hanc, idē jus in res privatas com-  
petere, nullus dubito. Etenim salus privatorum & bona omnia civium  
Patriæ salute continentur: & oportet privatos facultates suas ad publicas  
utilitates concedere *arg. l. 15. §. 2. ff. de rei vind. l. 14. C. de oper. publ. quia*  
*publicum commodum privato præferendum l. 3. §. 15. ff. de SCro. Si-*  
*lian. l. 3. C. de primipi. l. lib. 12. cap. unic. de probib: Feud. alien per Lotbar.*  
*in princ. 2. Feud. 32. Et publicæ utilitatis gratiâ à regulis juris communis*  
*receditur l. 51. vers. multa autem ff. ad L. Aquil. cap. Abbate, 3. in fin. vers.*  
*præferim. de sentent. & re judic. in 6to. Vasq. 1. contr. 1. num. 1. Gail. 2.*  
*obs. 57. num. 2. & seqq. Mantie. de sac. & ambig. convent. lib. 27. tit. 3.*  
*num. 11. Tholoz. lib. 7. de Rep. cap. 20. num. 35. circ. fin. & num. 48.*

41. Ne autem hoc casu privati aliquid injusti patiantur, æquum est  
hoc damnum, quod publicæ utilitatis gratiâ senserunt, ex publico resat-  
ciri *l. 13. §. 1. ff. comm. prædior. l. 2. C. pro quibus caus. servi pro præm. lib.*  
*66. Gail. d. obs. 57. num. 8. & Vasq. d. loc. ubi ait: Si rem meam mihi auf-*  
*ferri omnibus profuit, ejus pretium, ut ab omnibus mihi præsteretur (dem-*  
*ptâ parte, quæ me attingebat) par & Juri naturæ consonum est. Jung.*  
*Tholoz. d. cap. 20. num. 47.*

42. Non tamen hoc ita accipiendum, quasi omne damnum, in bel-  
lo publicæ utilitatis gratiâ accepto, passim ex publico compensari de-  
beat. Siquidem hoc esset contra jus belli, quod damnum unumquemq;  
suum, ab hoste illatum, ferre jubet. *arg. cap. 8. Extr. de injur. Mantie. dis.*  
*lib. 27. tit. 3. num. 14. Vasq. 1. contr. 4. num. 11. Gail. 2. obs. 58. Mynsing. 4.*  
*obs. 9. Hunn. de pact. cap. 2. q. 3. Tholoz. d. lib. 7. cap. 20. num. 37. Quam-*  
*vis modis omnibus enitendum, ut quoad fieri possit, suum cuiq; tribua-*  
*tur. Jubet hoc naturalis æquitas, cujus omnibus in rebus favor maximus*  
*existit.*

43. Quamvis ergo pacis articulos, conditionesvè oporteat esse æ-  
quas: ut dictum *suprà* *ib. 6.* cum nulla sit securitas, nisi æquissimis pa-  
cificamur conditionibus, si æqua & bona pax fuerit, & fida & perpetua  
erit; sin mala, haut diuturna.

44. Quamvis porro conditiones pacis debeant esse tutæ, cum pax,  
quæ insidiis obnoxia est, non pax sit, sed bellum pacis nomine obvolutū:

45. Quamvis quoq; perspicuæ debeant esse pacis regulæ, ne facile  
ambiguitati locus relinquatur, quam potentior facile in rem suam sini-  
strâ interpretatione detorquere possit, contra germanum scripturæ sen-  
sum. Uti factum à Carolo IX. Rege Gall, qui pacem cum Protestantibus  
publi-



publico edicto sancitam, ita interpretatione Anno 1564. debilitavit, ut  
Protestantium causa in bello, quam in pace, potior fuerit, teste *Tbuan.*  
*lib. 36. p. mi. 731.*

46. Attamen si dubia fuerint pacis conditiones, pro iis interpretan-  
das puto, qui suum amiserunt, Quorum enim favorabilior causa, pro iis  
pax interpretari debet.

47. In tantum hoc in favorabilibus procedit, ut interdum laxius ac-  
cipienda sit verborum significatio, quam communis usus fert, modò  
non ad significationem impropriam recurratur *l. 69. prin. ff. de Legat. 3.*  
*Gail. 2. Obs. 136. num. 17.* nisi aliàs pactio absona & inutilis reddatur.  
Absurditas enim vitanda est, *l. penul. ad Exhib. l. 67. l. 290. de R. jur. l. 13.*  
*§. 2. vers. sed & §. l. 19. de H.* Vid. *Mantic. de tac. & ambig. convent. lib. 2.*  
*tit. 13. Gail. 2. Obs. 92. num. 3.* Hinc dicimus, verba menti, non mentem  
verbis servire debere. Item à proprietate verborum recedi posse, ut  
mentem sequamur, cujus rei in jure extant textus in *l. 101. de Condit. &*  
*demon. l. 7. §. 2. de suppl. leg. l. 3. C. de lib. prater.*

48. Econtrà odiosa, quantum fieri potest, restringi deberi certum  
est, ex *cap. Odis. 15. de Reg. jur. in 6to. Jung. l. 2. C. l. 19. de lib. & postu-*  
*lum.* Quam regulam cum ampliationib, & limitat. vid. apud *Tusch.*  
*lit. O. conclus. 67.*

49. Congrua ergo ubiq; debet esse interpretatio, arg. *l. 20. §. 6. in*  
*fin. ff. de pet. hered. ac congrua illa intelligitur interpretatio, quæ non*  
*solum verbis, sed & personis convenit, arg. cap. 1. vers. cum in substitua-*  
*tionibus. de Testament. in 6to.*

50. Proinde nullum est dubium, omnes pactiones potius ex volun-  
tate, quam verbis interpretari debere. Si enim voluntas, tacitis nobis, in-  
telligi posset, verbis omninò non uteremur; quia verba reperta sunt,  
non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. Semper in fide  
quid senseris, non quid dixeris cogitandum, ait *Cic. 3. off.*

51. Hic sensus, hæc voluntas præsumitur, si ratio eadem, quæ move-  
rat, adsit, ut: qui pactus est, ne vallo muniatur civitas, eandem nec mu-  
ro firmari illum voluisse putandum erit; vel contrà. Semper enim pro-  
hibito aliquo, sive per legem, sive per conventionem, prohibetur etiam  
ejus simile, quia non in modo, sed in qualitate est jus, secundum *Bal. 5.*  
*Consil. 507.* Non ergo probanda est Mediolanensium cautio, qui jura-  
ti, muris nunquam se munituros Urbem, hanc fossis aggeribusq; con-  
firmarunt, ita ut egregiè defendi, adversus quemcunq; impetum ho-  
stium possent, *Sigon. lib. 14. de regn. Ital.* B 2 52. A 2



32. At si absurda, inhonesta, iniqua inde consequantur, voluntas  
presumenda non erit, ut dictam *ib.* 47. Maxime enim convenit, secun-  
dum bonum & æquum pacta æstimari. Quinimò, semper æquitate ser-  
vata, interpretatio fieri debet in humaniorem sententiam, prout perso-  
nis, causis, temporibus, & locis bonus iudex viderit convenire, ait *Man-  
ric. de tac. & amb. contr. lib. 1. c. 17. num. 2.* atq; allegat textum *cap. ult.  
Extr. de transact.* Itaq; addit *ibid. num. 3.* omnis interpretatio duos  
debet habere comites, sc. bonum & æquum, cum omnia ad bonum &  
æquum sint dirigenda, arg. *l. 24. §. 1. de minorib. tex. in l. 8. C. de judic.*

33. Quamvis verò facile largiar, jus nostrum civile cum iustitia con-  
venire, tamen non possum eorum sententiæ accedere, qui omnes pa-  
ctiones, præsertim publicas, ex jure civili interpretandas autumant, sed  
jus divinum, naturale ac gentium, & salus publica in medium vocan-  
da sunt. *Bornem. disp. 6. Colleg. Ireno pol. ib. 7. lit. 2. Alber. Gentil. 2. de  
jur. bel. cap. 4. in pr. & fin. ubi ait ex Steid. & Guic. Exprobratum scimus  
Carolo V. & Ludovico Regi Galliarum, quod non Principibus, sed Le-  
guleis dignas verborum & pactorum interpretationes afferrent. Jung.  
aund. Genti lib. 3. de jur. bel. c. 14. pag. mi. 191.*

34. Nec iis suffragari possum, qui pactationem cum subdito initam,  
Regem pro arbitrio interpretari posse putant. Subditos quoq; ab inter-  
pretatione repellendos arbitror: ut & paciscentium alteram partem.  
Unde rectè *Bodin. lib. 5. cap. 6. num. 192.* reprehendit Clementem VII.  
Pont. quod, societate cum Regibus Francor. & Anglor. adversus Caro-  
lum V. Imp. contracta, uno capite faderis excipi voluerit, ut, si pacem  
cum Imp. inire commodius videretur, ipse arbiter esset. Satius erit hoc  
arbitris committere, qui absq; ira & studio, causam dijudicare poterunt.

35. Sed ne tali explicatione opus sit, ij providere debent, qui pacis  
negotia tractant. Quod vel Reges ipsi faciunt, ut Ludovicus XI. Rex Gal-  
liæ, quem aliquoties pacis causâ Carolum Burgundum ac Eduardum  
Regem Angl. adversarios suos, convenisse legitimus apud *Comineum lib.  
2. in princ. p. mi. 333. & p. 337. lib. 6. pag. 490. & seqq.* qui tamen hunc  
paciscendi modum, multis periculis & incommodis obnoxium repro-  
bat, ob rationes non leves *lib. 3. pag. 386.* Jung. *Guicciard. lib. 6.* Itaq;  
rarissime à Regibus hunc paciscendi modum usurpari cerimus, & inter-  
rim non omnino, nec semper displicet, quod placitum fuit olim inter  
Tiridatem & Corbulonem: nempe quando commentibus invicem  
nuntiis, nihil in summa pacis proficitur, rectè colloquio ipsorum tem-  
pus locumq; destinari. *Tacit. 13. ann. cap. 38. vers. 1.*

36. Mar



56. Magis frequentatum, legatorum quorundam fidei pacis conciliandæ curam committere. Quorundam dico. Non est enim unius vel paucorum in arbitrium conferendum, quod omnium salutem concernit. Sic Philippus Austriacus, ex Hispania in Flandriam rediturus, pacis cum Gallia rege Ludovico XII. conficiendæ, amplam habebat à socero potestatem, verum tamen adjuncti illi erant duo legati, sine quorum consilio, nihil vel agi vel confici volebat, *Guic. lib. 5.*

57. Legati autem, si firmam pacem constituere debent, sufficienti mandato instructos esse oportet, quorum fines non excedant, *l. 5. princ. ff. mandat.* quod Romanorum Legati, ad Gallos missi, petentem, ne socios offenderent, cum non observarint, Urbi magnum malum attraxerunt, *Liv. lib. 5.* Aliud exemplum neglecti mandati, licet non in causâ pacis, vide ap. *Gell. 1. Noct. Att. cap. 13.* Non enim justior eludendi prætextus, quam extra iussa à commissariis itum *D. Mevius in disc. de Amnest.*

58. Si tamen generali mandato omnia Legati acta approbaverit Rex, eum teneat etiam contra voluntatem, secretò soli Legato significatam, certum est. Quia interdum alio prætextu mittuntur Legati, sicuti Normanniæ quaestorem, ad pacis negotium cum Anglo tractandum, de Rotellini Marchionis liberatione agendi prætextu, à Gallia Rege missum, ait *Guicciard. lib. 12. Hist.*

59. Equè firmiter, quæ bonorum omnium, ita & Regni hæredes sunt, promissis & contractibus antecessorum obligantur. Quia plerumq; tam hæredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus *l. 9. in fin. de probat.* & unusquisq; sibi, suisq; hæredibus videtur prospexisse *2. Feud. 8.*

60. At ubi ex electione, vel præscriptione legis fundamentalis, regnum transfertur, ibi non quidem directè antecessorum, promissionibus, sed indirectè tamen, per interpositum ordinum consensum, successores obligatur. vid. *Bod. lib. 1. cap. 8. in fin. Tholoz. d. lib. 7. cap. 20. num. 39. & seqq. Bach. ad Tr. vol. 1. Diss. 6. Tb. 7. lit. b.*

61. Quod adeò verum est, ut pax cum legitimo Rege consensu ordinum facta, etiam cum in valote servari debeat.

62. Hoc namq; casu tota Resp. contraxisse videtur, cujus contractus valent, etiam si imperandi forma immutata sit, & vel ex Regno Resp. vel ex Rep. Regnum factum. Neq; integrum est à pactionib. ante mutationem factis discedere *Alb. Gent. 3. de Jur. bell. cap. 22. p. 680. & seqq.*

63. Multo magis si juramento pax confirmata fuerit, *Can. 1. caus. 22. q. 1. vid. Alb. Gent. 3. de Jur. bell. 23. p. 681. 552.* quo nullum vinculum ad



astringendam fidem arctius esse voluit antiqua Romanorum Religio  
*Cic. 1. off.* Merito hoc quidem. Deus enim in juramento testis adhibetur,  
quem fallere impium ac profanum. Ipsi parietes & circumstantes aer, ipsa  
dies, ne de angelorum praesentia & cujusq; conscientia dicam, perjuros  
acculant & accusabunt in ultimo judicio inquit *Majol. 2. dier. Canis.*  
*coll. 2. sub fin.* Unde capit *Silius*:

*Audite ô gentes: non rumpite foedera pacis,  
Nec regnis postferre fidem.*

Notum est ex sacris, Deum graviter vindicasse, quod pax à Josuâ & Prin-  
cipibus Israelitarum, cum Gabaonitis *Jos. 9. v. 19.* facta, & juramento sta-  
bilita, vel à successore & hærede, imò non vero hærede, Saul violata, &  
Gabaonitæ contra datam fidem interfecti fuerint *2. Reg. 21. vers. 1. & seq.*  
Nec minorem perfidiæ poenam tulit Ladislaus Rex Hungariæ. Hic enim  
Anno Christi 1414. pacem cum Amurate Turcic. Imper. decennalem  
pépigit; eamq; jurejurande utrinq; confirmarunt, sed suasu Legati Pon-  
tificii, Cardinalis, violatâ pace, bellum cum Turca Ladislaus renovavit,  
atq; unâ cum suatore, & multis Christianorum millibus, in prælio ad  
Varnam occubuit *Wolf. in lect. memorab. cent. 16. p. 423. Carion chron.*  
*lib. 5. p. mi. 1190. & seqq.* In cujus rei memoriam Regi tale scriptum  
extat Epithaphium

*Romulide Cannas, Ego Varnam clade notavi;  
Discite mortales non temerare fidem.*

64. Nec liberat à perjurio, quod per falsum Deum juraveris, utpote  
qui Deastrum, quem in juramento testem invocasti, pro vero Deo habui-  
sti. Hinc *Augustin. Serm. 28.* Multi in hoc falluntur & putant, quod nihil  
est, per quod jurant, non se crimine teneri. Profusus perjures es, quod  
per id, quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego illud sanctum non  
puto, sanctum puto, cui juras. Juras ante Deum. Non te audit lapis lo-  
quentem, sed punit Deus fallentem. Et *idem ad Publiscolum*: Bis pecca-  
vit, qui jurat, per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem, quod  
non debuit. Et sapiens *Philo* ait; Idololatæ propter utrumq; justè pu-  
niuntur, cum quod malè de Deo sentiant, idolis dediti, tum quod dolo-  
sè & injustè jurant ex contemptu religionis.

65. Multo minus excusat, si hæretico juratū sit, cum etiam juramentū,  
& Ethnicis & infidelibus præstitum, servandum sit, vid. *Job. Tarnov. sup.*  
*quest: Num & qua foedera cum diverse religionū hominibus iniri possint.*  
*civ. fin. 5. Et ad foedera. Gerard. à Pilg. in sacra foed. norm. §. 1.* Quia virtus,  
inquit,



39

inquit, *Senes*, etiam hosti veneranda, *Alb. Gentil. 3. de jur. bell. cap. 19. eir. fin. pag. mi. 658.* Non enim hic considerantur ut hæretici, aut infideles *Bach. ad Treut. disp. 6. th. 7. lit. a.*

66. Nisi turpia fuerint pacta, quæ etiam si juramento confirmata sint, sine scelere servari non possunt *l. 26. d. V. O. l. 15. de condit. Instit. cap. non est. 58. de R. jur. in 6to.* Quia juramenta non debent esse vinculum iniquitatis, *cap. Quanto. 18. in med. & cap. 28. Ext. de jurejurando. cap. inter. 22. caus. 22. q. 4. Jung. Covarr. in dicto cap. Quamvù. par. 2. princ. num. 4. & 6.*

67. Præter hæc pacem, super re plane illicita, & contra æquum & bonum, contra Reip. commodum, ac proprium officium, vi, metu, doloq; extortam & juramento simul roboratam, invalidam puto, per *d. cap. cum contingat. 28. Ext. de jurejur. cap. quamvù. 2. de pactis in 6to. Bodin. 5. de Rep. num. 597. in princ. p. 333.* Aliàs dolo, vi, metuq; procurata pax, atq; juramento postea confirmata, non infringenda est. Nec habet contra eam restitutio integrum locum, licet allegetur læsio enormis. Quia Princeps paciscens superiorem non habet, a quo possit restitui. Neq; attendatur, an major, vel minor fuerit ita paciscens, arg. *Ausbert. sacramenta. C. si adver. vend. cap. unic. §. fin. 2. Feud. 53. Jung. Bach. ad Tr. vol. 1. disp. 21. Th. 4. lit. b.*

68. Sed alia est sententia eorum, qui omnia ad utilitatem dirigunt, qui cum commodo omnia in regno terminant, qui sceleribus maximis sæpè justitiæ falsum nomen prætexunt, ut loquitur *Majol. Tom. 4. dier. sanie. colloq. 2. p. mi. 777.* Qui cum *Lysandro* dicunt pueros quidem astragalus, ceteros jurejurando falli oportere.

69. Hos verò haud facile à probis discernere licet. Equidem sic arbitrator, ait *Comin. lib. 3. princ. p. mi. 371.* quemadmodum & vitæ diuturnitate, & robore corporis multò sumus inferiores præcis illis hominibus ita quoq; ab ipsorum fide & integritate permultum nos degenerasse. Vix enim est, ut providere sibi aliquis diligenter satis possit, quo minus fallatur, & quo sunt potentiores principes, eo major est insidiis & improbitati locus. Hæc ille. Imo hostis demulcendo sæpè plus proficit, quam sæviendo: & cum armis, vel vi proficere nequit, fædere, pactione, & fide, sanguam vulpinâ pelle utitur. Fœderibus & pace pleriq; ludant, amicitiam simulant, inimicitias tegunt, donec locus & occasio aliter suadeant, *Majol. dict. loc.*

70. Propterea solet non raro etiam obsidibus caveri, *Gail. 2. de pac. publ. cap. 2. num. 10. Hering de fidejuss. cap. 7. num. 340.* Quinam sint obsides



obsides, vide ap. *Ware. ab Eren. 2. Medit. de fœd. num. 17. & Alb. Gent. 2. de jur. bell. 19. p. mi. 394.* Jus, seu mos obsidum antiquissimus est, Philippum Maced. pro pace cum Romanis habenda obsides dedisse, & inter alios quoq; filium Regium Demetrium testatur *Liv. decad. 4. lib. 6.* Sic, idem *Liv. ead. dec. lib. 7.* docet: Antiochum coactum fuisse, ut Romanis, pro observantia pacis, veluti pignori viginti daret obsides, quos tamen uno quoq; anno alteraret. De obsidibus centum Carthaginensium Scipioni datis vid. *Liv. dec. 3. lib. 10.* de Vologesi Regis Parthorum nobilissimis ex familia Arsacidarum obsidibus datis Romanis *Tac. 13. Anna. 9. in princ.* Et proximè elapso seculo, nempe 1552. ad fœdus, quod inter Galium Henricum II. & Mauritium Electorem Sax. contrahebatur, stabilendum, dabantur utrinq; obsides *Sleid. lib. 24. p. mi. 762.* Alia exempla suppeditant *Hering. de Fidejuss. cap. 10. num. 28. & seqq. War. ab Eren. 2. Med. de fœd. num. 6. n. 170.*

71. Interdum & oppida & arces deduntur, vel omnino diruuntur, ne adversarij, si velint, nocere possint. Quo enim pluribus munimentis malitia innititur, eo facilius ad rumpendam pacem prorumpit.

72. Solet etiam aliquando nova pax firmari novo connubio atq; affinitate. Hinc verè *Duar. de rit. nupt. cap. 3.* ut Comædiæ, ita belli cuiusq; gravissimi exitum esse aliquod cernimus matrimonium. Firmum sanè vel apud non Christianos vinculum. Inter ea appetitus regnandi, & affinitate, & necessitate sæpe est potentior *Alb. Gent. 3. de jur. bell. cap. 13. p. 681.* Quicumq; enim regnum affectant, cætera omnia cupiditati suæ postponunt, ita ut amicissimos etiam, genereq; proximos, hostium loco habeant *Dion, lib. 38. p. mi. 77.*

73. Scio autem à Regibus sæpe filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitia specie volunt, vel ad tempus placare, nihilq; deinde sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuo inierunt, reverentiâ motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio, inquit *Meleander in Argen. Job. Berclai lib. 3. p. mi. 318.*

74. Pax rumpitur, si arma absq; justa & sufficiente causa, vel toti corpori civitatis, vel etiam parti subditorum inferantur. Feriens enim pacem omnino pro subditis, ferit, quos tueri tenetur.

75. Sociis verò motum bellum pacem non volat, nisi & sub pactione expressè comprehensi sint *Alb. Gent. lib. 2. de jur. bell. cap. 24. p. 708. Juscb. lit. P. concl. 179. n. 17. Mantie. de tac. & ambig. conv. lib. 27. tit. 5. n. 4. Ubi num. 5. & 6. limitat hoc & dicit: Adhærentes tacitè comprehensos, si pax absq;*



absq; eis non possit paciscentibus suffragari, cum verba pacis sint acci-  
pienda cum effectu, arg. *cap. 4. Extr. de Cler. non resid. & l. i. §. 2. ff.*  
*Quod quisq; jur. in alta*

76. Sed numquid pax violatur, si patrem fratresve, non subditos,  
nec in pace nominatos violaveris? Minime violatam sentio cū *Grot. lib.*  
*3. de jur. b. & pac. c. 20. §. 33. Bod. lib. 5. cap. 6. num. 61.* Idem obtinere arbi-  
tror, si uxor paciscentis, vel liberi læsi sint, cum *Alb. Gent. d. lib. 3. cap. 24.*  
*pag. mi. 708.* Licet quoad uxorem sub certo modo dissentiat *Mantic. lib.*  
*27. de tac. & ambig. conv. lib. 27. tit. 6. num. 38. & seq. & num. 41.*

77. Queritur hæc: si pace inclusi sint socij, seu adherentes, & ante-  
quam eorum ratihabitio sit subscecuta, unus ex iis sit offensus, qui tamen,  
eo non obstante, pacem ratihabuerit, an pax rupta intelligatur? Nego cū  
*Alb. Gent. lib. 3. cap. 23. prin. Grot. lib. 3. de jur. bel. & pac. cap. 20. §. 33.*  
non attento, quod in contrarium dissentit *Mantic. d. tit. 6. num. 55.*

78. At pax non violatur, si à privato quid contra pacta committa-  
tur, dummodo non publico consilio approbetur.

79. Quid verò sentiendum, si subditi sub hoste stipendia mereant?  
Si publicâ autoritate id fiat, pacem violari nullus dubito.

80. Porrò rumpunt pacem, qui capita pacis, tam majora, quam mino-  
ra non implent. Qui favrà & subdolâ juris interpretatione, sententiam  
pacis corrumpunt. Qui perfidâ malitiâ pacta in pravum detorquent  
sensus. Vide exempla ap. *Alb. Gent. 2. de jur. bell. cap. 3. & 4.*

81. Deniq; violant pacem, qui animum hostilem vel minis, vel insolitâ  
exercitus conscriptione, vel munimentorum, quæ ad nocendum apta  
sunt, in finibus extructione, vel reparatione illorum, quæ paciscentium  
consensu destructa sunt, declarant. Hostes namq; sunt, qui apparatus  
faciunt, ut nos oppugnent *Alb. Gent. 3. de jur. bell. cap. 21. p. mi. 672. Jung.*  
*Per. Gr. Tholoz. de Rep. lib. 11. cap. 14. num. 13.*

82. Per controversias verò judiciales pax non violatur. Nam qui pro-  
mittit vim non facere, is de judiciis non sentit. Provocarunt Pœni ad  
judicia cum Masaniſſa, salvis fœderibus. Et sic sæpe necesse est, emergen-  
tibus dubitationibus, circa & propter fœdera *Mantic. de tac. & ambig.*  
*conv. lib. 27. tit. 6. num. 7. Alb. Gent. 3. de jur. bell. cap. 24. pag. mi. 709.*

83. Nec violata pax existimatur, si ex nova causa fiat injuria. Quia  
qui promittit non offedere, is subintelligit exceptionem, nisi causa su-  
perveniat: nisi culpa accesserit ejus, cui promissio ista fit, & pactio pacis:  
rebus sic stantibus, *Alb. Gent. dic. loc. Mantic. d. tit. num. 16. & 17. seqq.*

G

33. Lu.



84. Lubeat coronidis loco annectere illam Q. Num debitores eorum, qui fuerunt hostes, quando tempore belli, id quod creditoribus hostibus debebant, fisco, vel aliis solverunt ex imperio Ducis, teneantur pace facta iterum veris creditoribus solvere, an verò liberentur? Fuit hæc q. agitata, sopito bello Neapolitano, quod Ferdinandus Arragonus, cui pater Alphonsi regnum illud cesserat, gessit cum Carolo VIII. Gall. Reg. Hic enim per aliquot menses possessor terræ Neapolitanæ, debitores Alphonsi Francigenis assignaverat, & ad solvendum officialium suorum, condemnatione coegerat. Ego resp. cum *Matsb. de Aff. decis. Neapol. 149. num. 31.* Si debitores antè in mora fuerunt solvendi, teneantur adhuc solvere veris creditoribus, quia mora debet illis nocere, non his: si non fuerunt in mora solvendi debitores, tum officialium, seu Ducis iustus, ad quem fisco, vel aliis solverunt, illos excusat, ut non obstricti sint iterum solvere, per *l. 5. de reb. cred. l. 82. in fin. de V. Ob. Jun. Pet. Greg. Theoz. lib. 11. de Rep. cap. 13. num. 9. Gudelin. de jure pacis cap. 4. in fin. & cap. 5.* Tantum differere de pace ingenii mei tenuitas permisit. Monitus meliora sequar. Interim finem facio. O Deus impone tu bellis finem, & da pacem terris nostris. Nil placitum sine pace tibi,

Fac, ut in pace dicamus: sit.

GRATIA &

GLORIA SALVATORI, PRINCIPI PACIS.

In honorem Nobilissimi

DN. RESPONDENTIS,

**P**acis amans BERGLASUS amat sic Pacis amantes,  
 Ut de Pace testes scribat, de Pace loquatur,  
 Pacem defendat, subeat certamina Pacis,  
 Rite facit, Fateor, bellis clarescere pulchrum,  
 Nec non dulce cluit; sed sanguine bellica virtus,  
 Nomen honosq; madent. Pax est Pax una triumphis  
 Innumeris potior; Pax custodire salutem,  
 Et ciues servare valeat; Pax ornat, & auget.  
 Augeat Ipsa, precor, BERGLASTI nobile nomen;  
 Nam non bella modò nobis dant insignia fama,  
 Vel decorant antiqua; viret nec vulnere tantum  
 Nobilitas, sed sub pacis quoq; crescit oliva,  
 Succrescit virtute pia; virtute togata  
 Non minus, armata quam vi, stirps alta foetura  
 Atq; licet veteres exornent undiq; signis  
 Atria, Nobilitas est & manet unica virtus.

scrib.

PRÆSES.











the scale towards document

quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 o 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas  
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 , pœnam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publicè jactaverat, quem postea  
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ptã forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 ncubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

